

年 忌 ミ サ

Missa pro defunctis fratribus, propinquis et benefactoribus

【♪】入祭唱	Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. (Ps. 64: 2, 3) Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddétur votum in Jerúsalem: exáudi oratióem meam, ad te omnis caro véniet. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine; et lux perpétua lúceat eis.
【司】集祷文	Deus, vénia largítor et humánæ salútis amátor: quæsumus cleméntiam tuam; ut nostræ congregatiónis fratres, propínquos et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.
【司】聖書朗読 黙示録 14 :13	In diébus illis: Audívi vocem de cælo, dicéntem mihi: Scribe: Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur. Amodo iam dicit Spíritus, ut requiéscant a labóribus suis: ópera enim illórum sequúntur illos.
【♪】昇階唱	Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. V. (Ps.111: 7) In memória ætérna erit justus: ab auditióne mala non timébit.
【♪】詠唱	Absólve, Dómine, ánimas ómnium fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum. V. Et grátia tua illis succurénte, mereántur evádere judícium ultiónis. V. Et lucis ætérnæ beatitúdine pérfrui.
【♪】続唱	Dies iræ, dies illa, Solvet sæclum in favílla: Teste David cum Sibýlla. Quantus tremor est futúrus, Quando judex est ventúrus. Cuncta stricte discussúrus! Tuba, mirum spargens sonum, Per sepúlchra regiónum. Coget omnes ante thronum. Mors stupébit, et natúra, Cum resúrget creatúra, Judicánti responsúra. Liber scriptus proferétur. In quo totum continétur, Unde mundus judicétur. Judex ergo cum sedébit, Quidquid latet apparébit: Nil inúltum remanébit. Quid sum miser tunc dictúrus? Quem patrónum rogatúrus, Cum vix justus sit secúrus? Rex treméndæ majestátis, Qui salvándos salvas gratis, Salva me, fons pietátis. Recordáre, Jesu pie, Quod sum causa tuæ viæ: Ne me perdas illa die. Quærens me, sedísti lassus: Redemísti crucem passus: Tantus labor non sit cassus. Juste judex ultiónis, Donum fac remissiónis Ante diem ratiónis. Ingemísco, tamquam reus: Culpa rubet vultus meus: Supplicánti parce, Deus. Qui Mariám absolvísti, Et latrónem exaudísti, Mihi quoque spem dedísti. Preces meæ non sunt dignæ: Sed tu bonus fac benígne. Ne perénni cremer igne. Inter oves locum præsta, Et ab hædis me sequéstra, Státuens in parte dextra. Confutátis maledíctis, Flammis ácribus addíctis: Voca me cum benedíctis.

	Oro supplex, et acclínis, Cor contrítum quasi cinis: Gere curam mei finis. Lacrymósa dies illa, Qua resúrget ex favílla, Judicándus homo reus. Huic ergo parce, Deus: Pie Jesu Dómine, Dona eis réquiem. Amen.
【司】福音朗読 ヨハネ 6 :51-55	In illo témpore: Dixit Iesus turbis Iudæórum: Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigábant ergo Iudæi ad ínvicem, dicéntes: Quómodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducándum? Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen, dico vobis: nisi manducavéritis carnem Fílii hóminis et bibéritis eius sánguinem, non habébitis vitam in vobis. Qui mánducat meam carnem et bibit meum sánguinem, habet vitam ætérnam: et ego resuscitábo eum in novíssimo die.
【♪】奉献唱	Dómine Jesu Christe, Rex glóriæ, líbera ánimas ómnium fidélium defunctórum de pœnis inférni, et de profúndo lacu: líbera eas de ore leónis, ne absórbeat eas tártarus, ne cadant in obscúrum: sed sígnifer sanctus Míchaël repræséntet eas in lucem sanctam: Quam olim Ábrahæ promisísti, et sémini ejus. V. Hóstias et preces tibi, Dómine, laudis offérimus: tu súscipe pro animábus illis, quarum hódie memóriam, fácimus: fac eas, Dómine, de morte transíre ad vitam. Quam olim Ábrahæ promisísti, et sémini ejus.
【司】密唱	Deus, cuius misericórdiæ non est númerus, súscipe propítius preces humilitátis nostræ: et animábus fratrum, propinquórum et benefactórum nostrórum, quibus tui nóminis dedísti confessiónem, per hæc sacraménta salútis nostræ, cunctórum remissionem tríbue peccatórum.
【司】序唱 死者の序唱	Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere: Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus: per Christum Dóminum nostrum. In quo nobis spes beátæ resurrectiónis effúlsit, ut quos contrístat certa moriéndi condítio, eósdem consolétur futúráe immortalitátis promíssio. Tuis enim fidélibus, Dómine, vita mutátur, non tóllitur, et dissolúta terréstris hujusínclátus dómo, ætérna in cælis habitátio comparátur. Et ídeo cum Ángelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatió nibus, cumque omni milítia cæléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus sine fine dicéntes:
【♪】拝領唱	Lux ætérna lúceat eis, Dómine: Cum Sanctis tuis in ætérnum: quia pius es. V. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. Cum Sanctis tuis in ætérnum: quia píus es.
【司】聖体拝領 後の祈り	Præsta, quæsumus, omnípotens et miséricors Deus: ut animæ fratrum, propinquórum et benefactórum nostrórum, pro quibus hoc sacrificium laudis tuæ obtúlimus maiestáti; per huius virtútem sacraménti a peccátis ómnibus expiátæ, lucis perpétuæ, te miseránte, recípiant beatitúdinem.